

01

A

6578

Sammelbd. 14

60

22  
ORDINIS IVRIDICI  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI


H. T.

PRO-DECANVS  
GODOFRIDVS  
L V D O V I C V S  
MENCKEN ICTVS

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET  
ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE ET  
IVSTITIAE AC IN SVMMO PROVOCATIONVM  
IVDICIO ANTECESSOR COLLEGIORVM IVRIDI  
CORVM VITEMBERGENIVM ET CONSISTORII  
ECCLESIASTICI ATQVE IVDICH PROVINCI  
ALIS IN INFERIORE LVSATIA  
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. D. P





**V**t nemo mortalium contra pacta sua,  
quae neque legibus repugnant, nec pi-  
etatem laedunt et uerecundiam, nec  
contra bonos mores, nec dolo malo  
inita sunt, quicquam suspiciat, non iuri solum, sed  
etiam naturali conuenit aequitati. Atque ex hoc  
certe consequitur, cum liceat cuique discedere a  
iure pro se introducto, ualere pacta renunciatiua,  
similiter non posse recendentem aduersus haec sua  
pacta uenire, et contrahentes decipere. Ideo  
nominavit Imperator IVSTINIANVS *l. 29. C. de  
Pact.* illum obstrictum, qui in instrumento fu-  
erat confessus, se non usurum fori praescriptio-  
ne, propter cingulum militiae suae uel dignita-  
tis uel etiam sacerdotii praerogatiuam. Sed re-  
spicit renunciatio iurium fauorem alterius, at-  
que id efficit, ut illa perdat, et, prout res sita  
est, in aliud transferat *s. 5. Inst. de Bonor.  
possess. L. 26. C. de Administr. tut. uel Curat.* In-  
de,

de, ne grauius capiat detrimentum renuncians, etiam in his iudicandis causis accurata opus est circumspectione, nec minus spectanda eius causa finalis, quae contrahentis significat intentionem et voluntatem. *L. 81. de Verbor. Oblig.* Nam casum quemcunque sub pacto renunciationis comprehendisse uidetur recedens a iure suo, qui ex causa eius finali sequitur, et illa continetur. *IASON in Authent. quas Actiones.* *C. do SS. Eccles. DECIVS Conf. 350. num. 4.* Ast tacite etiam quis se potest abdicare iure, quod sibi competit. *Cap. 3. X. de Renunc.* *Cap. 15. X. de Priuileg.* Quod nec minus ipsi iniquam infert conditionem. Qui enim sibi non prospicit tempore, loco, et modo conueniente, a iure suo recessisse dicitur. *Cap. 19. X. de Cens.* Cum tacitum idem operetur, quod expressum. *L. 38. de Solution. et liberat.* *l. 21. de Iure Dot.* Igitur consensisse uidetur, qui permittit, ut actus iuri suo contrarius expediatur. *L. 18. Mand.* Quare *PAVLVS l. 8. Quemadm. seruit. amitt.* existimat, quod ius stillicidii immittendi amiserit ille, qui permiserit in re seruiente, ut hoc fiat, quo seruitus impeditur. Praeterea renunciatio non efficit minus, imo profecto maius, quam lata sententia. *VVLTEIVS Lib. I. Conf. 17. n. 84.* Sententia enim fertur in inuitum, *l. 83. §. 1. de Verb. Oblig.* *l. 21. §. fin.*

*§. fin. de Pecul.* renunciatio autem praesupponit animum et consensum recedentis. *L. 14. §. 9. de Aedil. Edict. l. 81. de Verbor. Oblig.* Atque his argumentis utimur quoque in causis feudalibus. Interdum enim occurrit, ut ille, ad quem beneficium, eius possessore defuncto, pertineret, istud refutet. Igitur pro instituti ratione nunc quae-dam de renunciatione feudi, a proximo in hoc successore, facta, commemorabo. Refutatio-nis uocabulum in causis feudalibus idem signifi-cat, quod denotat in negotiis ciuilibus renuncia-tio. In iusto enim beneficium non obtruditur, quapropter leges permittunt proxime successu-ro, feudum, quod ad ipsum deuoluitur, refuta-re. *H. F. 38. H. F. 44. LVDWELL. Synops. feud. Cap. XV. OBRECHT. de Iure feud. L. III. C. II. n. 10. 17.* Sed admodum tamen cauendum, ne tertius exinde capiat detrimentum. Nemini enim potest per alterum iniqua fieri conditio. *L. 74. de Reg. Iur.* Et licet tantum illud contem-nere, quod pro renunciante introductum appar-eret. *L. 29. C. de Pact. L. 41. de Minor.* Igitur ea ualebit repudiatio feudi quae praeiudicium re-nunciantis respicit, utputa si id intendit, ut be-neficium ad Dominum, cui, se remoto, debe-retur, reuertatur. Agnatis autem, ad quos be-neficium alias pertineret, talis repudiatio in-

commodum non afferet. *II. F. 39.* Hinc satis et sufficienter liquet, refutationem feudi paterni uel antiqui eum in finem peractam, ut redeat res ipsa beneficiaria ad Dominum, non perpetuam efficere consolidationem, sed temporalem. Memorabilis est, quem **FEVIDISTA** *II. F. 14.* proponit casum, et in fauorem filii, contra Dominum, decidit. Decrepitae aetatis Vasallus quidam feudum suum in manu Domini ad hoc refutauerat, ut Seium et Sempronium filios suos de eodem beneficio inuestiret. Vasallo mortuo Sempronius sine legitimo haerede, Seio adhuc superstite, deceffit. Dominus nouum feudum sibi delatum, Seius paternum esse, contendebat. Sententia praevaluit, hoc feudum, quamuis fuerit refutatum, nihilominus esse paternum. Quare **STRVVIS** *Syntagm. Iur. Feud. Cap. XII. Apb. 14. n. 1.* iure agnatis post mortem refutantis eiusque filiorum facultatem tribuit, beneficium a Domino uel illius heredibus reuocandi. Quod ius tamen repetendi feudum alii etiam ad refutantis filios indistincte extendunt. **ZASIVS** *de Feud. Part. X. n. 88.* **SONSBECK.** *Part. XII. n. 122.* et qui hos sequitur **BORCHOLTEN** *Comment. in Consuetud. Feud. Cap. VIII. n. 54.* Deinde quoque in Saxonia, cum ratio naturalis non permittat, ut ex

ex alterius renunciatione tertius capiat detrimentum, prohibita est refutatio feudi, a filio, ad quem beneficium a patre aere alieno laborante deuoluitur, suscepta eum in finem, ut feudum ad simultanei inuestitos transeat, et creditores Patris decipientur. *Resol. Grauam. d. A. 1661. Tit. von Iustitien-Sachsen. Grauam. 71.* Enimuero haec refutatio, quae fit Domino, dicitur propria. Sed datur etiam impropria, quae fit agnatis. Agnatorum autem nomine non uenit solum iunctus a latere, sed etiam renunciantis descendens. Nam filius patri agnatus proximus est secundum effatum POMPONII *L. 12. de suis et legit. hered.* Poterit igitur refutans in commodum agnati proximi repudiare feudum, eo cum successu, ut hoc ad illum pertineat, quo caruisset, si alter suo fuisset usus iure. Ast saepius renunciat quis beneficio antiquo ea sub lege, ut refutatum accipiat eius filius. Atque hoc certe est expeditum, quod talis refutatio feudi respiciat fauorem filii, eundemque pro fine habeat, minimum aliud non facile sit praesumendum. Haec renunciatio ualida est, non solum ratione Domini, sed etiam agnatorum, qui respectu filii patris refutantis sunt remotiores. *II. F. 11.* Atue-ro pone filium, qui hoc modo beneficium accepit, diem obire supremum, nec relinquere he-redem

redem masculum, qui posset succedere in feudo,  
 patrem tamen, qui in eius fauorem se abdicauerat  
 feudo, adhuc esse in uiuis. Poteritne pa-  
 ter ad feudum antiquum, quod refutauit, adspira-  
 re, hocque sibi vindicare? Poterit utique; *II.*  
*F. 49.* ROSENTHAL *Tractat. Feud. Cap. VII.*  
*Conclus. 14. num. 8. seq.* SCHVLTZ. *Synops. Iur.*  
*Feud. Cap. VIII. n. u2.* STRVV. *Syntagn. Iur.*  
*Feud. Cap. XII. Aph. 14. num. 2.* HORN. *Iurif-*  
*prud. Feud. Cap. XVI. f. 2.* Refutauit enim pa-  
 ter beneficium in filii fauorem, et ea sub lege  
 atque conditione, ut, quamdiu filius, uel eius  
 haeredes generis masculini uiuant, potius fili-  
 us illiusque heredes, quam ipse, feudo utatur  
 fruatur. Verum haec causa deficit, quando fili-  
 us ante patrem sine herede masculo moritur.  
 Igitur tunc res redit ad pristinum statum, ac si  
 nunquam extitisset renunciatio. Ex quo simul  
 consequitur, esse hanc feudi reuersionem, non pro  
 successione, potius pro recuperatione haben-  
 dam atque accipiendam. SCHVLTZ. *Synops. Iu-*  
*ris Feud. Cap. VIII. num. u2.* Nec aduerfantur,  
 quae legimus *II. F. 50.* cuius textus uerba Iu-  
 ris Clientelaris Communis ita concepta sunt:  
*Successionis feudi talis est natura, quod af-*  
*cendentes non succedant:* Nam in casu me-  
 morato beneficium ad Patrem non iure *Succes-*  
*sionis*

sionis pertinet, sed ad ipsum ob causam renunciationis cessantem reuertitur. Ad quod de-  
mum accedit, quod dicta lex Iuris Feudalis Lon-  
gobardici tantum agat de feudo nouo, hic au-  
tem quaeratur de feudo antiquo, quod manet  
paternum, etiam si fuerit refutatum. *II. F. 14. II.*  
*F. 49.* Igitur nititur ueritate, posse patrem, filio  
sine heredibus generis masculini defuncto, feu-  
dum, quod refutauit in eius fauorem, vindicare  
sibi ex iuris concessione. At uero circumstan-  
tiae, quae saepius occurunt, et simul spectandae  
sunt atque considerandae, cum uarent iuris ap-  
plicationem, interdum id exigunt, ut alia de-  
tur sententia, patri contraria. Operae preti-  
tum erit adiicere casum, qui ante aliquot men-  
ses Ordini nostro proponebatur. Caius eme-  
rat feudum, quod nomino Tusculanum, et Ti-  
tium acceperat simultanee inuestitum. Cum hoc  
expresie pepegerat, ut sibi liceret de Tusculano  
perfecte et libere disponere inter uiuos et mor-  
tis causa, pariter et testari. Dominus in hoc  
pactum consentit. Caius condit testamentum,  
atque in hoc Sempronio et Iauoleno, Titii si-  
multanee inuestiti filiis, Tusculanum titulo ho-  
norabili institutionis assignat. Nec minus con-  
ficit Codicillos, ac in his unum alterumque  
in heredum fauorem constituit. Caius mori-  
tur.

tur. Titii simultanee inuestiti filii Sempronius et Iauolenus, Caii scripti heredes , patre non contradicente , inuestiuntur de feudo secundum testatoris Caii intentionem et uoluntatem. Tandem decessit Sempronius sine filio masculo. Titius defuncti Sempronii partem nunc ad se esse reuersam, e contrario Iauolenus, hanc suae accessisse portioni, aiebat. Et quaerebatur, cuius ius sit potius atque fundatum ? Respondimus pro Iauoleno. Aderant enim maxima et notatu dignissimae circumstantiae , quae pro hoc pronunciare sententiam magis suadebant. Ut eo certius et melius de nostrae sententiae constet ueritate, adiiciam uerba Testamenti, quae hoc pertinent: Es wollen schon besagter Caius zu Dero Lehens-Erben hiermit titulo institutionis honorabili einsetzen und ernennen sämtliche von seiner Frauen Tochter NN. mit Tito erzeugte Söhne, dergestalt, daß dieselben das hier zu NN. gelegene Ritter-Guth, mit denen darzu gehörigen Lehen-Stücken, (gestalten ihm hn. Testatori besage des in Händen habenden Original Reuersus von dem Mittbelehnten darüber iederzeit zu disponiren verstattet wäre) behalten, und als wahre Lehens-Folgere hinnehmen sollen; atque in Codicillis ita disposuerat: daß die Intraden des vertestirten Mann-Lehn-Guthes zur Bezahlung derer

derer etwan noch vorhandenen Lehn-Schulden, oder Interessen davon, angewendet, das übrige aber denen eingesezten Erben berechnet, mit nichts aber davon deren Vater etwas abgegeben werden solle: Dabo rationem decisionis. Aderat enim feudum duobus in solidum ac pro indiuiso concessum. Atque in his feudis ius accrescendi seu potius ius non decrescendi locum inuenit, ita, ut defuncti pars ad superstitem coniunctum pertineat. *II. F. 18. SCHRADER Tract. Feud. Part. X. Sect. XI. num. 58. et ab hoc alleg. DD. MENO CHIVS Lib. III. Praef. 93. n. 26. PEREGR. Conf. 30. n. 14. ALEX Conf. 30. n. 9. Vol. I. BEROI. Conf. 70. n. 12. seq. Vol. I.* Voluisse autem Caium, ut Sempronius et Iauolenus, Titii filii, beneficium indiuisum et in solidum accipient, atque possident, nec de feudo quicquam ad Titium perueniat, quamdiu unus uel alter haeredum in uiuis est, clare ex Testamenti uerbis: erzeugte Söhne ic. daß dieselben das hier zu N N. gelegene Ritter-Guth behalten, und als wahre Lehn- Folgere himmeli- men sollen ic. similiter ex dicta Codicillari uolun- tate appetet; cum non cuique suam attribuerit partem, sed potius, ut feudum, tanquam com- mune habeant atque retineant, constitue- rit. Et huic ultimae Caui dispositioni se Titius subiecerat, non solum, quia Caio concesserat fa-

cultatem testandi, sed etiam quia permiserat, ut filii sui, Sempronius et Iauolenus, secundum Ca-  
ii intentionem et uoluntatem, de feudo in soli-  
dum inuestirentur. Igitur refutauit Titius feu-  
dum in filiorum suorum fauorem, et quidem ita,  
ut, si adhuc eorum unus uiuat, portio defuncti  
non sibi, sed fratri defuncti obueniat. Ex quo  
certe consequitur, fuisse Ius Iauoleni magis fun-  
datum quam Titii. Sed diutius huic inhaerere  
argumento, alia non permittunt. Supereft e-  
nim, ut quaedam de Clarissimi Candidati no-  
ftri ortu, moribus, uita, et eruditione, quam  
sibi indefeflo acquisiuit labore commemorem.  
Quae huc pertinent, a fe ipfo concepta hic re-  
fero.

*Vitae rationem redditurus, in eo facillime  
ueniam me impetraturum esse, auguror, si, ue-  
ram gentis meae gloriam in eo positam esse,  
autumem, quod maiores, singulari pietate, uir-  
tute, ac morum integritate, rebus tam publi-  
cis, quam priuatis strenue consuluerint. Hanc  
haereditariam quasi lauream, parentes optimi,  
iure quodam suo sibi vindicarunt, ut pressis  
priorum uestigiis, antiqua fide conspicui, inter  
cives fuos eniteant. Veneror autem, summa,  
qua*

quia par est, pietate, patrem HARTMANNVM  
 WI<sup>N</sup>CKLERVM, Aedilis qui nunc munere  
 Lipsiae fungitur; matrem IOHANNAM SO  
 PHIAM, de gente itidem WINCKLERIANA  
 oriundam. Hisce parentibus natus sum, se  
 cundo Calend. Aprilis, Anno, MDCCXVI.  
 Innumera parentum optimorum in me pro  
 merita, si longo ordine recensere uellem, ne  
 que finem, neque modum, in commemorando,  
 facile inuenirem. Id praecipue allegandum es  
 se, existimo, quod a tenerrima usque aetate,  
 uirtutem me sequi, et quae recta sint, quae  
 que prava deprehendantur, sedulo docuerint.  
 Simul me iis tradiderunt Viris, a quibus, quae  
 scitu necessaria, quae optima sint factu, maxi  
 mo cum fructu percipere potuerim. Pri  
 mas tenet CHRISTOPHORVS SANCKIVS,  
 qui sacris initiatus, sacerdotali dignitate  
 uenerandus, nunc Lipsiae conspicitur. Huic,  
 tanquam fundatori meae salutis, gratam ac  
 deuotam mentem, pro indefesso eius, in me  
 formando, studio, profiteor, et, quoad uiuam,  
 profitebor. Ille enim, ad minora illa, quae si  
 negliguntur, non est maioribus locus, se demit  
 tere,

tere, haut recusauit, studiaque mea, ab infantia formare, summa diligentia allaborauit, usque dum ad eam aetatem fuerim prouectus, qua, in illustri Lyceo Portensi, iuuenium discentium et aemulantium studia, coetui admoueri, commode potuerim. Hic enim, Anno MDCC XXXI. a Celeberrimo ac plurimum Deuenerando Lycei Portensis Rectore FREY TAGIO hospitio exceptus, et ita liberaliter ac munifice, per integrum fere lustrum, habitus sum, ut indignissimus forem, si patrium illius amorem, indefessumque in me excolendo studium, ullo unquam tempore, memoria elabi finerem. WALTHERO, SCHRAMMIO, ac STÜBELIO, Viris Clarissimis, in coelestium numerum iam dudum relatis, plurimum a me quoque deberi, libentissime profiteor, nec non HÜBSCHIO, Viro Praeclarissimo, cum eum praceptorum ueneror, gratam mentem testatam facio. Hoc igitur studio, Deo adiuuante, feliciter peracto, ab hospitis mei aestuematissimi amplexu aegre auellendus, Lipsiam redditum parare sum iussus. Quo cum Anno MDCC XXXV. peruenerim, in numerum ciui-

um

um academicorum relatus sum, a Viro Illustri  
FLORENTE RIVINO, qui eo tempore in ad-  
ministratore Reipublicae praeclarissime uersaba-  
tur. Quum bac ratione ad altiora essem accin-  
ctus, scholas frequentauit Virorum, omni doctri-  
nae genere instructorum, quorum splendor, non  
dicam Lipsiae, sed omni orbi litterario lucet.  
In primis mibi nominandus est Summe Reueren-  
dus CHR. GOTTLIEB IOECHÉR. O et praesidium  
et dulce decus meum! Nam quoad longissime  
potest mens mea respicere spatum praeteriti  
temporis, ac pueritiae memoriam recordari ul-  
timam, et ad suscipiendam, et ad ingrediendam  
rationem studiorum, principem se mibi dedit  
atque auctorem. In Academiam cum essem de-  
latus, mea studia iterum consilio regere, sa-  
pientiae praecepta, priuata sollertia, docere,  
ad historiae cognitionem uiam pandere, ac o-  
mni modo commoda mea promouere, baut de-  
dignatus est. Huius etiam ductu et auspiciis  
factum est, ut Anno M DCC XXXVII, cum  
fasces Academicci, summo cum omnium bono-  
rum applausu ipsi traditi fuissent, de Marci  
Antonii Triumiri Timonio, in Auditorio Phi-  
loso-

losoiphico, publice disputauerim. Nec non Vi-  
ris Illustribus ac Magnificis, HOMMELIO,  
MÜLLERO, KAESTNERO, FEVSTELIO,  
GOTTSCHEDIO ac CHRISTIO dedi operam, et  
saluberrimis doctrinis, me erudiendum, in di-  
sciplinam tradidi. Quum hac ratione aliquot  
per annos, in Academia patria, uersatus fuis-  
sem, anno MDCCXXXIX. Vitebergam de-  
latus, albo Academico nomen inscribendum cu-  
raui, Rectore Magnifico KRAVSIO, cuius suauis-  
sima memoria, quoad litterae erunt, post fata  
superstes manebit. Hospitem hic nactus sum  
Virum Consultissimum, Illustrem MENCKENI  
VM, qui mihi beneficiis et amore parens, fide-  
lissima institutione, studiorum meorum promo-  
tor integerrimus est inuentus. Non solum in-  
gratum me nominari, quod ipsum graue est, sed  
etiam impium appellari, fas esset, nisi, quae  
MENCKENII in me sint promerita, insigni  
cum animi uoluptate recordarer. Et quam suau-  
e est, Virorum Illustrium ac Consultissimo-  
rum, Celeberrimi a LEYSER, CRELLII, RI-  
VINI, et quem praematura mors Tibi, o Al-  
ma Leucorea, multo cum luctu iam dudum  
eripu-

eripuit, HOFMANNI meminisse, quos omnes  
*praceptorum meos ac fautores, gratissima mente ueneror, et dum anima spirabo mea, nunquam non uenerabor.* Neque silentio praetereundus est *Vir Consultissimus MENCKENIVS Iunior,*  
*qui, quoad hic commorari contigit, Amicum se mibi dedit mei amantissimum, praceptorum integerrimum.* Nunc res iam in eo est, ut,  
*peractis coram Illustri Iureconsultorum ordine, examinibus, ad disputandum, pro licentia summos in utroque iure honores adipiscendi, admittar.*

Sed redeo ad Clarissimum Candidatum nostrum FRIDERICVM WINCKLER, qui, insigni labore ac industria singulari, eximiam fibi comparauit iuris scientiam, ut optime de ipso sperare liceat. Accessit hic ad Ordinem nostrum eum in finem, ut Iuris utriusque Doctoris dignitate ornetur. Stetit egregie in utroque Examine, quae substinent illi, qui ad altiores in Iure honores adspirant. Expleuit omnium exspectationem, et fructus doctrinae suae ita ostendit, ut ipsi, communis consensu et congratulatione omnium, honores in arte nostra

C

promit-

XVIII

promitterentur. Gratulor igitur Amplissimo et Prudentissimo eius Patri de filio ex Academia nostra non sine laude et praemio eruditionis redeunte. Et cum res nunc in eo sit, ut d. X. Iun. Dissertationem inauguralem *de Allodio eiusque separatione a feudo*, me Praeside, publice defendat, ea ex causa, ut Rector Academiae Magnificus, Patres Conscripti, Proceres, et omnes, qui arti nostrae et optimis literis fauent, hunc actum solennem honorifico suo conspectu reddant illustriorem, omni, qua par est, obseruantia, pariter et humanitate, contendeo.

Dab. Vitemberg. d. VI. Iun. A.R. S.

∞ 10 CC XXXXIII.

---

VITEMBERGAE  
LITERIS EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.







01 A 6578

f




56.

K.D.

260 ✓





22

ORDINIS IVRIDICI  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

PRO-DECANVS  
GODOFRIDVS  
L V D O V I C V S  
MENCKEN IC<sub>T</sub>V S

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET  
ELECTORI SAXONIAE A CONSIGLIIS AVLAE ET  
IVSTITIAE AC IN SVMMO PROVOCATIONVM  
IVDICIO ANTECESSOR COLLEGIORVM IVRIDI  
CORVM VITEMBERGENIVM ET CONSISTORII  
ECCLESIASTICI ATQVE IVDICH PROVINCI  
ALIS IN INFERIORE LVSATIA  
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. D. P

